

quam possit hoc a Joanne apostolo etiam de immortalitate corporis dictum videri. Et in hac quippe similes erimus Deo, sed tantummodo Filio, quia solus in Trinitate corpus accepit, in quo mortuus resurrexit, atque id ad superna pervexit. Nam dicitur etiam ista imago Filii Dei, in qua sicut ille immortale corpus habebimus, conformes facti in hac parte, non Patris imaginis aut Spiritus sancti, sed tantummodo Filii, quia de hoc solo legitur, et fide sanissima accipitur, « Verbum caro factum » est¹. » Propter quod Apostolus, « Quos ante, inquit, » præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii » sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus². » Primogenitus utique a mortuis secundum eundem Apostolum, qua morte seminata est caro ejus in contumelia, resurrexit in gloria³. Secundum hanc imaginem Filii, cui per immortalitatem conformamur in corpore⁴, etiam illud agimus quod dicit idem Apostolus: « Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui » de cælo est⁵: » ut scilicet qui secundum Adam mortales fuimus secundum Christum immortales nos futuros, fide vera et spe certa firmaque teneamus. Sic enim nunc eandem imaginem portare possumus, nondum in visione, sed in fide; nondum in re, sed in spe. De corporis quippe resurrectione tunc loquebatur Apostolus, cum hæc diceret.

XXV. At vero illa imago, de qua dictum est: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram⁶; » quia non dictum est, ad meam, vel ad tuam, ad imaginem Trinitatis factum hominem credimus, et quanta potuimus investigatione comprehendimus. Et ideo secundum hanc potius et illud intelligendum est quod ait apostolus

¹ 1 Joan. 1, 14. — ² Rom. VIII, 29. — ³ Coloss. 1, 18. — ⁴ 1 Cor. XV, 43. — ⁵ 1 Cor. XV, 49. — ⁶ Gen. 1, 26.

Joannes: « Similes ei erimus, quoniam videbimus eum » sicuti est¹: » quia et de illo dixit de quo dixerat, « Filii » Dei sumus. » Et immortalitas carnis illo perficietur momento resurrectionis, de quo ait apostolus Paulus: « In » ictu oculi, in novissima tuba, et mortui resurgent in- » corrupti, et nos immutabimur². » In ipso namque ictu oculi ante judicium resurget in virtute, in incorruptione, in gloria corpus spiritale, quod nunc seminatur in infirmitate, corruptione, contumelia corpus animale. Imago vero quæ renovatur in spiritu mentis in agnitione Dei, non exterius, sed interius de die in diem, ipsa perficietur visione, quæ tunc erit post judicium facie ad faciem, nunc autem proficit per speculum in ænigmate³. Propter cujus perfectionem dictum intelligendum est, « Similes » ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est⁴. » Hæc enim donum tunc nobis dabitur, cum dictum fuerit, « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis » regnum⁵. » Tunc quippe tolletur impius, ut non videat claritatem Domini⁶, quando ibunt sinistri in supplicium æternum, euntibus dextris in vitam æternam. « Hæc est » autem, sicut ait Veritas, vita æterna, ut cognoscant » te, inquit, unum verum Deum, et quem misisti Jesum » Christum⁷. »

XXVI. Hanc contemplativam sapientiam, quam proprie puto in Litteris sanctis a scientia distinctam sapientiam nuncupari, duntaxat hominis, quæ quidem illi non est, nisi ab illo cujus participatione vere sapiens fieri mens rationalis et intellectualis potest, Cicero commendans in fine dialogi Hortensii; « Quæ nobis, inquit, dies noctesque considerantibus acuentibusque intelligentiam, quæ

¹ 1 Joan. III, 2. — ² 1 Cor. XV, 52. — ³ Id. XIII, 12. — ⁴ 1 Joan. III, 2. — ⁵ Matth. XXV, 34. — ⁶ Isaï. XXVI, 10. — ⁷ Joan. XVII, 3.

est mentis acies, caventibusque ne quando illa hebescat, id est in philosophia viventibus magna spes est: aut si hoc quod sentimus et sapimus mortale et caducum est, jocundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum, neque molestam extinctionem, et quasi quietem vitæ fore: aut si, ut antiquis philosophis hisque maximis longeque clarissimis placuit, æternos animos ac divinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est, in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis et erroribus, hoc his faciliorem ascensum et reditum in cœlum fore. » Deinde addens hanc ipsam clausulam, repetendoque sermonem finiens: « Quapropter, inquit, ut aliquando terminetur oratio, si aut extingui tranquille volumus, cum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paulo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera et cura ponenda est. » Hic miror hominem tanti ingenii, perfunctis muneribus humanis, hominibus in philosophia viventibus, quæ contemplatione veritatis beatos facit, jocundum promittere occasum, si hoc quod sentimus et sapimus mortale et caducum est: quasi hoc moriatur et intercidat quod non diligebamus, vel potius quod atrociter oderamus, ut jocundus nobis sit ejus occasus. Verum hoc non didicerat a philosophis, quos magnis laudibus prædicat: sed ex illa nova Academia, ubi ei dubitare etiam de rebus manifestissimis placuit, ista sententia redolebat. A philosophis autem, sicut ipse confitetur, maximis longeque clarissimis, æternos animos esse acceperat. Æterni quippe animi non inconvenienter hac exhortatione excitantur, ut in suo cursu reperiantur, cum venerit vitæ hujus extremum, id est, in ratione et investigandi cupiditate, minusque se admisceant atque implicent hominum vitiis et erroribus, ut

eis facilius sit regressus ad Deum. Sed iste cursus qui constituitur in amore atque investigatione veritatis, non sufficit miseris, id est, omnibus cum ista sola ratione mortalibus sine fide Mediatoris: quod in libris superioribus hujus Operis, maxime in quarto et tertio-decimo quantum potui, demonstrare curavi.